

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXVI. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

ret Dominus, quod facile fieri posset, quid responsum es ei, cui respondere non poteris unum de mille. Job. 9. v. 3.

Diluvium factum est quadraginta diebus, tamdiu enim multiplicata sunt aqua, dum quindecim cubitis altior fuerit aqua, super montes, quos operuerat, interea multi potuerunt poenitentiam agere, & gratiam implorare, Gen. 7. 7. sed dies extremus veniet ut fulgur, in momento ad tribunal Christi vocaberis, si dixerit malus servus in corde suo: moram facit Dominus meus venire, &c. Matt. 24. 48. seqq.

Hac memento mi Christiano! noli superbe de te sentire, sed time, Rom. 11. v. 20. *Quod si fulgur exhorrescimus, & hoc ipso ad devotionem & preces impellimur*, ut Deus ab incendio & fulminis læsione nos custodire velit: Quam magis memoria adventus Domini timorem filialem in nobis excitare, nosq; ad preces inflammare debet.

Sicuti enim fulgur lumine suo per noctem omnia lucida reddit; quæ tenebræ operuerant: sic & dies novissimus illuminabit abscondita tenebrarum, 1. Cor. 4. 5. inò tam rigorosa ratio requiretur, ut justus vix sal-

vetur, impius ergo & peccator ubi parebit? 1. Pet. 4. 18. Ideo causam habemus quoq; ut cum metu & tremore salutem nostram operemur, Eph. 2. 12. Beatus enim, qui semper est pavidus, Prov. 28. 14.

Attamen desperare non debemus, sed meminisse, *quod iudex frater noster sit*: ideo non omnia ad amissum exiget, nec ex rigore nobiscum aget: sed ut Josephus fratribus suis culpam remisit, & terram Gessen tradidit, in qua in abundantia vixerunt, Gen. 47. 6. & lux eis fuit, cum horribiles tenebræ univèrsam Ægyptum operuissent, Exod. 10. vers. 22.

Sic & cælestis Josephus nos gratiosè velut fratres suos recipiet, & in regionem vivorum introducet, Ps. 118. 9. ubi dabit nobis petitiones cordis nostri, Ps. 37. 4. nempe vitam & abundantiam, Joh. 10. 10. ibi non occidet sol, & luna non minuetur, Esa. 60. 20. Dominus enim sol & clypeus erit, daturus gratiam & gloriam, ut non priventur bonis, qui ambularunt in innocentia, Psalm. 84. vers. 12.

Id quod nobis Deus ex gratia largiri dignetur, propter Christum, Amen.

Dominica XXVI. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 25. v. 31. --- 46.

EXORDIUM.

INter alia *praclara elogia*, quæ Servatori nostro in sacris literis assignantur, non postremum est, quod appellatur *El Gabor*, *Deus fortis*, Esa. 9. v. 6. item, *Vir pugnator*, Exod. 15. v. 3. nec non *fortis heros in pralio*, Psalm. 24. v. 8.

Non autem uno modo nobis se representat: sed modò accingitur gladio suo super femur suum, Psalm. 45. v. 4. modò de ore ejus gladius exit, Apoc. 1. 16. modò manu tenet, & acuit ad perdendum, Ps. 7. 13.

Hac idea est, in qua videmus, quo Deus
Vid. part. 1. p. 225. in

in puniendo processu uti solet. In hoc mundo, dum fores gratiæ adhuc patent, gladio suo super femur accingitur, & potentiam suam ostendit, per varia signa, in terris, mari, ære, & alibi, ut eum timeamus, peccatis valdicamus, & ita iræ ejus obviemus, Luc. 21. vers. 36.

Si nihil illis efficit, gladium ore tenet, & per ministros suos mundum impœnitentem objurgat, & pœnas annunciat, utrum respicere velint à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad illius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult.

Si verò hoc ipso ad frugem non perducentur, gladium manuprehendit, eoque prosternt, donec furor ejus ascendat, ut nulla sit curatio, 2. Paral. 36. v. 16. id fiet die novissimo, ubi in igne judicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino, Esa. 66. vers. 16.

Jam boni & mali invicem permixti sunt, Dominus enim sinit zizania crescere, usque ad messem, Matth. 13. v. 30. Hinc fit, ut rosa Ecclesiæ non modò ab ethnicis spinetis compungatur, & supprimatur: sed & in medio Christi ovili sese offerant fœtentes hædi, qui pusillo ejus gregi vim inferunt, & animas justas iniquis suis operibus cruciant, 2. Petr. 2. v. 8. ut conqueri opus habeant: Heu mihi! eò quòd peregrinus sum cum Mesech, & habitem, cum tabernaculis Cedar, Psal. 120. v. 5. Sed die novissimo hic heros gladio percutiet, hostesq; dissipabit; reliquos verò, qui eum timent & amant, introducet in cœlestem Hierosolimam, ubi requiem animarum invenient, Matth. 11. vers. 29. & omnium malorum refrigerium sentient, Luc. 16. vers. 25.

Hoc nobis plenius & clarius delineatur in præsentè Evangelio, ad cujus enodationem sine ulteriori præloquio nos conferemus meditatiuri ex eodem:

I. Ἀνθρῶπιστολογίαν, sive notitiam nostri.

II. Χριστογνωσίαν, sive notitiam Christi.

J.J.

Exegetis.

Utinam providerent novissima! vovet vir Dei Moses, Deut. 32. v. 29. eoque respicit primò mortem, qui ultimus est inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. Deinde extremum judicium, statutum enim est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, Hebr. 9. v. 27. 2. Cor. 5. v. 10. Tertio, sententiam decisivam, quæ super justos & injustos feretur: illi in vitam æternam, hi verò in æternam condemnationem ablegabuntur, ubi fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, Apoc. 14. v. 11.

Nos quoq; tria hæc novissima semper recordari debemus, qui enim hoc facit, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. ult.

De duobus postremis, nempe de extremo judicio, & sententia decisiva, quæ super justos & impios feretur, audimus in prælecto Evangelio, ex quo notitiam nostri discimus, si spectemus:

I. Universalẽ congregationem. Cum enim venerit filius hominis, in majestate suâ, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: & congregabuntur omnes gentes. Hoc solenne Concilium erit.

In hoc mundo sæpe concilia quoque & comitia instituta sunt, ubi magnus populi confluxus fuit.

Cum Israëlita Ægypto egredierentur, uno die

die

die sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis & mulieribus conveniunt, Exod. 12. v. 37.

Rex Salomo congregavit majores natu Israël, & cunctos principestribuum, & familiarum de filiis Israël in Jerusalem, Chron. 5. v. 2. 3.

Rex Augustus universum orbem describi jussit, Luc. 2. v. 1.

In Comitibus Augustanis anno 1130. celebratis ultra sedecim hominum millia comparuerunt.

In Concilio Niceno sub Imperatore Constantino M. A. C. 325. celebrato, trecenti & octodecim Episcopi: In Constantinopolitano, A. C. 381. sub Theodosio Majore, centum quinquaginta: In Ephesino sub Theodosio juniore, A. C. 431. ducenti & nonaginta: in Chalcedonensi sub Imperatore Marciano A. C. 451. sexcenti & triginta Episcopi convenerunt.

Sed ab exordio mundi, nullum ejusmodi concilium celebratum fuit, nec celebrabitur, quale die novissimo congregabitur, quando Dominus noster Jesus Christus congregationem instituet, 2. Theff. 2. v. 1. ibi enim magni & pusilli stabunt in conspectu ejus, Apoc. 20. v. 12. omnes linguæ, Esa. 40. v. 6. omnis caro, Esa. 66. v. 24. omnes gentes, Joël. 3. v. 2. qui ab initio mundi vixerunt, jam vivunt, & porro victuri sunt, hi omnes producentur, mare enim dabit mortuos suos, & infernus dabit mortuos suos, & judicabuntur singuli, secundum opera ipsorum, Apoc. 20. v. 13.

Hic proba te, mi Christiane! utrum studiosè tibi in memoriam revocaveris, quod coram tribunali Christi sistendus sis?

Si quis in terrenum judicium citatur, sedulo ille meditatur, quid dicturus, & quâ

excusatione usus sit. Meticulosa enim res est ira ad judicem. Cur igitur non metui-
mus extremum judicium, quod adeo rigorosum erit, ut justus vix salvetur; impius & peccator ubi ergò parebunt? 1. Petr. 4. vers. 18.

A terreno iudice abscondere nos possumus, sicut Elias in deserto se occultavit, cum ei Jesabel mortem interminata esset, 1. Reg. 19. v. 4.

Sed id hic fieri nequit: Judex enim Dominus est omnipræsens, Jer. 23. v. 24. velox quoque pedibus suis non salvabitur, & adscensor equi non salvabit animam suam, Amos. 2. v. 15. Omnes diaboli, omnes impii, omnes tyranni è latibus suis prodire cogentur. Omnes populi in Asia, omnes gentes in Africa, omnes gentes in America, omnes homines in Europâ, nullo profus excepto, omnes Prophetæ, omnes Sacerdotes, omnes Apostoli, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Prælati, Professores & præceptores ibi comparebunt, rationem reddituri, de sanguine sibi concreditorum, quem Christus de manu ipsorum requiret. Ezech. 3. vers. 17.

Similiter, omnes Magistratus, Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, omnes Officiales, Satrapæ, Præfecti, Curiales; omnes subditi, cives & rustici, viri & fœminæ, juvenes & virgines; magni & parvi, pueri & senes, fideles & infideles, justi & impii: horum unusquisque pro se rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13.

Perpendite hoc, vos scortatores & adulteri, Deus enim judicabit vos, Hebr. 13. v. 4. Perpendite vos epulones & ebriosi, dilatavit enim infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descendunt fortes ejus, & divites & latissimi,

eum, Esa. 5. v. 14. Perpendite, qui proximum odio & invidia prosequimini! qui enim fratri suo irascitur, reus erit iudicio, Matth. 5. v. 22. Perpendite vos immiseri- cordes! Iudicium enim sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam, Jac. 2. v. 13. Perpendite omnes, qui in peccatis contra conscientiam vivitis! Neque enim fornicarii, neque idolis servientes &c. 1. Cor. 6. v. 10.

II. *Ovicularum & hædorum separatio- nem.* Separabit enim eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.

In hoc mundo omnes promiscuè de- gunt. Abel & Cain in unâ domo cohabit- ant, Gen. 4. v. 1. Esau & Jacob in uno utero conclusi sunt, Gen. 25. v. 24. Pius Lazarus & impius epulo eandem urbem incolunt, Luc. 16. 19. 20. Fastuosus Phariseus & humilis publicanus unum templum ascendunt, Luc. 8. 10. Petrus & Judas uni mensæ ac- cumbunt, Luc. 22. 21. Hinc Ecclesia com- paratur saginæ, ex omni genere piscium congreganti, Matth. 13. 47.

Sed die novissimo, Dominus ventilabro permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum suum: paleas au- tem comburet igne inextinguibili, Matth. 3. 12. ibi apparebit, quid sit inter justum & injustum, Psal. 3. v. ult.

Hic quilibet probet se, an ovicularum vel hædorum nuturâ praditus sit?

Christus Servator noster passim in scri- pturâ Pastori confertur, Esa. 40. vers. 11. Ezech. 34. v. 11. 16. Ideoque hac simili- tudine in novo Testamento utitur, im- primis Joh. 10. v. 11. & in prælecto Evan- gelio, ubi iudicii processum delineat. Pro- cul dubio respicit historiam Jacobi, Gen. 20. vers. 35.

Præcipuè verò hoc ipso tempus indicare voluit, quo hæc fieri debeant.

Pastor terrenus per diem oves & hædos indiscriminatim pascit. Sed vespero ingru- ^{Gen. 30.} ente, quando gregem domum reducit, hæ- ^{32.} dos ab ovibus segregat.

Pari modo jam oves & hædi, h. e. boni & mali, justi & injusti promiscuè vivunt: sed quando dies novissimus illucescet, illi separabuntur. Oves enim Christus in ovile vitæ æternæ perducet, Joh. 10. v. 28. hædi verò ex eo exterminabuntur, & partem suam invenient in stagno ardente sulphure & igne, Apoc. 21. v. 8.

Cæterum varii reperiuntur hædi.

1. *In choro:* hi sunt falsi Apostoli, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini no- stri Jesu Christi, & ei, qui est secundum pie- tatem doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3. sed ambulant *ἀτάκτως*, 2. Thess. 3. v. 11. & per dulces ser- mones & assentationes seducunt corda in- nocentium, Rom. 16. v. 18. hi horto Eccle- siæ valdè exitiosi sunt, Psal. 11. v. 3.

2. *In Foro.* Deus Magistratum ideò or- dinavit, ut populum sibi subiectum præce- dant, quasi hædi ante gregem, Jer. 50. v. 8. Quando verò in cornibus suis confidunt, h. e. in potentiâ suâ, & pastores suos cor- nibus petunt, & malè foent, ratione pec- catorum commissorum, ut David, 2. Sam. 14. v. 14. locum habebit illud Salomonis: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

3. *In toro.* Petrus vult, ut viri cohabitent uxoribus secundum scientiam, quasi infir- miori vasculo muliebri impertientes ho- norem, 1. Petr. 3. v. 7. quando verò contra- rium fit, in hædos degenerant.

Sic etiam inter Auditores hædi petulei occurrunt, qui quando opibus pinguescunt

Hh

cor-

cornibus pastores suos impetunt, ut Amaziam, 2. Chron. 25. v. 16. Quin & reliquis ovibus graves sunt, iisque cibum præripiunt, & impiè agendo sese fatigant, Jerem. 9. vers. 5.

Quodsi itaque in numero ejusmodi hædorum fuisti, ad frugem redi, dum dicitur hodie, Hebr. 3. v. 15. Etsi enim inter oves & hædos corporales nulla Metamorphosis sexus locum habet; aliter tamen comparatum est cum his ovibus & hædis, de quibus Christus hic loquitur, si quis enim in Christo, nova est creatura, 2. Cor. 5, 17. Ideo precibus Deum sollicita, ut hædi naturam auferat à te, & oviculæ ingenium tibi largiatur: Cor mundum crea in me Deus, Psal. 51. v. 12. 14. Sic faciet ille quod promisit, Ezech. 37. v. 26. Non enim homo est, qui mentiatur, Num. 21. v. 19. 20.

III. *Operum misericordia enumerationem.* Sic enim Christus: Esurivi, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere, &c.

Pontificii ex hoc textu operum merita probare satagunt. Sed si textum rectè inspiciamus, contrarium planè ex eo elucescit.

Quinam enim sunt illi, quos Christus hic prædicat, quod se cibaverint, potaverint, collegerint, operuerint, visitaverint? In præcedentibus vocat eos, *benedictos patris sui.* Naturâ omnes sub maledictione sumus, Deut. 27. v. ult. Sed Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in gentes benedictio Abrahamæ fieret in Christo, Gal. 3. v. 13.

Deinde advertenda est vox *κληρονομία*, hæreditariò accipite. Hæc iterum operum merita infringit. Vita enim æterna hæreditas est, non ergò operibus

nostris mereri eam possumus, sicut videmus, quod liberi hæreditatem non mereantur, sed ex gratiâ à parentibus ratione filiationis accipiant. Ideò immotum perstat effatum Pauli: Justificantur gratis per gratiam Dei, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, Rom. 3. vers. 24. Ephes. 2. vers. 8. 9.

Tertio Christus expressè ait: Regnum quod hæreditariò accipere debeant, esse *ipsis paratum à constitutione mundi*, sive ante jacta fundamenta mundi, ut Paulus ait, Ephes. 1. v. 4. Tum vero nondum in rerum natura fuerunt, quomodo igitur bonum opus facere, eoque quicquam mereri potuerunt? Ideoque non causaliter intelligendum est, quasi Christus propterea illis salutem assignet, quia esurientes cibaverunt, sitientes potarunt, sudos operierunt, & similia misericordiæ opera in membris Christi fecerunt: sed hoc ipso publicè contestatum ivit, quod fides eorum non mortua fuerit: verum per opera charitatis tam conspicuè oculis illuxerit, ut liquidò appareat, tales esse, quales se professi sunt, nempe veros Christianos, qui non modò ore dixerunt Domine, Domine: sed voluntatem patris sui, qui in cælis est, fecerint, Matth. 7. vers. 21.

Hic quilibet in examen se vocet, utrum & ipse operibus hisce caritatis & misericordiæ vocationem suam ornare studuerit?

Multi sanè pauperes sese offerunt, qui opere nostrâ indigent. Quidam sunt *esurientes*, illis cibum subministrare debemus, ut Hiob fecit, Job. 31. v. 16. 17.

Nonnulli *sitientes* sunt, hos potu reficiamus, ut Rebecca, Gen. 24. v. 24.

Alii in *exilio* vivere coguntur, illos hospitio

spitio excipiamus, ad exemplum Abrahami, & Lothi, Gen. 18. v. 2. c. 19. v. 1.

Alii *nudi* sunt, nec nuditatem suam tegere valent, Apoc. 3. v. 17. illos vestiamus. Qui enim habet duas tunicas, det non habenti, Luc. 3. v. 11.

Nonnulli *infirmi* sunt, illos visitemus, necessitatibus sanctorum communicantes, Rom. 12. v. 13. exemplo Samaritani, Luc. 10. v. 34.

Alii *innocenter incarcerati* sunt, velut Baptista, Matth. 14. v. 3. his pro virili subvenire debemus, ut è carcere dimittantur, exemplo Ebedmelech, Jer. 38. v. 9. 13.

Qui hoc modo debitum suum observavit, & opera caritatis ex sincero corde proximo exhibuit, huic aliquando laus erit à Deo. I. Cor. 4. v. 5. Quando opera misericordiae prædicaturus est die novissimo. Bonum igitur facientes, non defatigemur, tempore enim suo metemus non delassati, Gal. 6. v. 9. 10. Psal. 41. v. 1. seqq.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *Ἐπιστολικὴν*, sive *noticiam Christi* meditaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam universalis iudicii administrator.* Hoc Evangelista indicat hisce verbis: Cum autem venerit filius hominis in maiestate suâ, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem &c.

Ex quo apparet, quod licet potestas extremi iudicii exercendi, tanquam opus divinitatis ad extra, omnibus tribus personis in essentia divina communis sit, quæ non modò ejusdem essentia, sed & ejusdem po-

testatis & gloriae sunt, ut symbolum Athanasianum præclare docet: attamen actus ipse, quantum visibilem processum attinet, homines congregandi, congregatos separandi, separatos loco suo sistendi, sententiam decisivam efferendi, & ita iudicium exequendi, in consilio SS. Triados, secundæ personæ, quæ incarnata est, ut visibiliter illud exerceri possit, demandatus sit, nempe Servatori nostro Jesu Christo, Joh. 5. v. 22. 27. Id quod etiam in symbolo Apostolico dilucidè confitemur.

Hoc solatio plenum est.

Si enim in hoc mundo coram iudicio sistendi, scientes, quòd iudex nobis saveat, latitia efferimur, & sententiam speramus mitiorem. Sic multò magis gaudeamus, quòd futurus universalis mundi iudex frater & amicus noster sit, qui sanguinem suum profudit, ut nos redimeret sibi populum peculiarem, Tit. 2. v. 14. Quomodo igitur in extremo die cor suum fraternum à nobis averteret, & eos condemnaret, quos sanguine suo tam carè redemit? Potius cum fiducia thronum gratiæ ejus adire possumus, ut misericordiam consequamur, Heb. 4. vers. ult.

Quemadmodum igitur universæ tribus Israël, ad David in Hebron venerunt, dicentes: Ecce, nos os tuum, & caro tua sumus, quo ipso gratiam ejus aucuparunt, ut cædus cum ipsis pepigerit, 2. Sam. 5. v. 1.

Pari modo nos ad Christum dicere debemus: Ecce caro tua & sanguis tuus sumus, tu frater noster es, ne quæso more iudicis, quid egerim, quid dixerim, quid cogitaverim, pondera: sed peccata mea omnia cruce tuo dele, ut Bernhardus loquitur. Sic non stricto jure nobiscum aget, sed gratia

tia ejus prævalebit, nosq; à promerita damnatione immunes, in cœlestem gloriam introducet, ubi semper cum Domino erimus, 1. Theff. 4. v. 17.

Impii verò qui jam peccatis suis filium Dei crucifigunt, Hebr. 6. v. 6. de adventu ejus non lætabuntur, dividet enim dolores furoris sui, Job. 21. v. 17. pluetq; super eos laqueos, ignem & sulphur, & spiritum procellarum, Psal. 11. v. 6.

Propterea maturè & in tempore ad pœnitentiam redeamus: *qui enim hic non suscipit tempus pœnitentia, post mortem non inveniet locum indulgentia*, quanquam cum lacrymis inquisiverit eam, ut Esau, Hebr. 12. v. 17.

II. *Tanquam operum misericordia astimator*. Hic audimus ipsum dicentem de iis, qui esurientes cibantur, sitientes potarunt, nudos operierunt &c. quod sibi id omne factum sit.

Hoc inde est, *quia ipse est caput ecclesie sue*, Ephes. 5. v. 23. Quodcunque itaque sive mali sive boni membrum accidit, id statim sentit: sicut & caput percipit, quando unum vel alterum corporis membrum, dolore vel gaudio afficitur. Hinc ait ad Saulum: Saul, Saul quid me persequeris? cum ille Christianos persequeretur.

De S. Martino refertur, quod, postquam mendicum, intenso frigore malè vestitum, pallio, ense per medium dissecto, operuerat: Christus pallio illo contactus, sequente nocte ipsi aparuerit, hancq; ejus beneficentiã angelis adstantibus prædicaverit.

An hoc ita factum sit, nec ne, loco suo relinquemus: hoc tamen certissimum est, quod mutuo det Domino, qui miseretur pauperis, qui retributionem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

O quàm bene igitur collocatum est, quod de facultatibus nostris in opibus largimur! Quando putamus, nos *Lazarum aliquem cibare*: ecce! Christo ipsi alimentum largimur, qui pro eo nobis dabit edere manna absconditum, Act. 2. v. 17. & panem in regno Dei manducare, Luc. 14. v. 15.

Quando opinamur, nos *potare vulgarem hominem*, Christo ipsi potum largimur, sicut mulier Samaritana ipsum quoque ignorans potavit, Joh. 4. v. 8: & ipse vicissim ad vivos fontes aquarum nos deducet, Apoc. 7. v. ult. & torrente voluptatis potabit, Psal. 37. v. 9.

Quando arbitramur, nos *Exulantem miserum in ades nostras introducere*: tum Christum ipsum excipimus, sicut de S. Patriarchis dicitur, quod inscientes angelos hospitio receperint, Hebr. 13. v. 2. Et ipse nos in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. & in domos pacis introducet, Esa. 52. v. 18. ubi dicemus: Domino, hic bonum est habitare, Matth. 17. v. 4.

Quando existimamus, nos *nudum operire*, ecce! Christum ipsum vestimus, & ipse pro pannis quibus ipsum contegimus, stolam innocentia nobis dabit, Apoc. 7. v. 14. & capiti nostro immarcescibilem coronam imponet, 1. Petr. 5. v. 4.

Videte dilecti! Sic non tam pauperibus profumus, cum iisdem benefacimus, quàm nobis ipsis. Sic beatius est dare, quàm accipere, Act. 20. v. 35. Terrena enim & transitoria erogamus, & recipimus cœlestia & æterna, Matth. 6. v. 20.

Nos communicamus egenis *micas beneficentia*, & recipimus *laurias cœlestis abundantia*, Esa. 55. v. 2.

Nos damus de iis, quæ in morte relinquere cogimur, Psal. 49. v. 18. & recuperamus

magis veras opes, Prov. 8, 18. quas nobis Christus per abitum ad Patrem acquisivit, Joh. 14, 3.

Nonne hæc præclara permutatio? Propterea ex animo vero & sincero, necessitatibus sanctorum communicate, Rom. 11, 13. Et Christus vestri quoque memor, minimum calicem aquæ frigidæ non sine mercede relinquet, Matth. 10, 43.

III. *Tanquam ultime sententiæ declarator.* Primo enim dicit his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum, à constitutione mundi. Deinde & his, qui à sinistris erunt, dicit: Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Et continuo sententiæ hæc executioni dabitur: Ibunt enim impii in supplicium æternum; justis autem in vitam æternam.

Sicut hoc terrificum impiis: sic contra ipsius voluptuosum est. Recte ergo David: Postremum homini pio pax, Psal. 37, 37.

In hac vita nemo afflictior est Christiano, undique enim oppugnatur, & vita ejus perpetua militia est, Job. 1. v. 7. modo Deus mutatur ipsi in crudelem, Job. 30, 21 sive torrentes Belial conturbant eum, Psal. 18. v. 5. modo infestatur ab impio mundo, qui totus in maligno positus est. 1. Job. 5, 19. cogiturque ejus esse purgamentum & peripsema, 1. Cor. 4, 13.

Sed in fine videbitur cujus toni! eventus enim tandem felix & beatus est: Ubi hic Tyranni ingeminant: Abite, Abite: Servator contra alloquetur nos: Venite! dispensam vobis, sicut dicit: sponsum mihi pater meus: regnum, Luc. 22, 29. Ubi nos antea velut hæreticos maledictos pronunciatos diris devoverunt: Christus contra Benedictos

nos asseret, & velut benedictos in regionem viventium introducet, ubi ambulabimus coram Domino in terra viventium, Psalm. 116, 9.

Hôstes vero nostri, qui nos hic angustiarunt, prefferunt & persecuti sunt, mercedem malefactorum recipient, & ex oculis nostris abiturire cogentur, in ignem æternum.

Hoc magnum erit opprobrium, quo illi afficientur, Dan. 12, 2.

Quando maleficus ultimo supplicio afficiendus est, non tam de morte conqueritur, quam de opprobrio, quod subire cogitur, quando sic per urbem in celebritate populi ad locum supplicii trahitur.

Sic & damnatis magna ignominia erit, quando Jesum cum multis millibus Angelorum, & Electorum conspicient, à quorum facie ipsi abire cogentur in ignem æternum nunquam inde reversuri. Spiritus vero maligni ludificabunt eos dicaturi: Venite, venite, vos maledicti! jamne tandem experimini, quid peccatis vestris commeriti estis? Præcones vestri viam cœli vobis monstrarunt, illis obtemperare nolulistis, jam nobiscum ite, nos aliam viam vobis ostendemus. Nolulistis ire in ædem Domini: jam nobiscum ite in domum infernalem. Nolulistis sacra cœnari, nos aliam mensam parabimus vobis, sulphure, pice & igne instructam. Apagite, nullus hic vobis locus relictus est. Sic in ignem æternum præcipitabuntur, in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 13, 42.

Horrendum igitur illud judicium semper auribus tuis intonet, ne venias in locum hunc tormentorum, Luc. 16, 28. Si quæris, quid faciendum: Audi, dicam: *Damnatis hic audire coguntur: Ite.* Tu igitur in tempore gratiæ vocem Christi audi, quando cla-

Hhh 3) mat:

mat: *Venite*, & utere mediis illis salutariter, quæ salutis tuæ destinavit. Aliter nullam sperare poteris salutem. Qui enim hæc media spernit, contemnit consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7. vers. 30.

Damnati vocantur maledicti. Quod si hoc nomine cōpellari nolis, vera fide Christum apprehende, qui factus pro nobis maledictum, ut in nos benedictio fieret, Gal. 3. v. 13. 14.

Damnati ire coguntur in ignem æternum: Si id experiri nolis, metue ignem iræ divinæ, quæ succensa ardet, usque ad inferni infima, Deut. 32. 22.

Damnati diabolo & angelis ejus associantur: Tu si nolis in consortium horum devenire, fuge sodalitia prava, & servi Servatori tuo in justitia. Luc. 1. vers. 74. 75.

Hoc qui facit, certus est, quod in judicium damnatorum non venturus: sed cum

benedictis Domini vitam æternam ingressurus sit. *O sanctum! ô beatum ingressum!* ubi à diabolis, & impiis separati, in perpetuum vivemus, apud Dominum, erit is merces nostra, ibi accipiemus regnum decoris. Sap. 5. v. 17.

O Christe, fac me stare,

A dexteris, spectare

In claritate te:

Fac me, piosque cunctos

Tecum tenere cælos,

Me, sum paratus, suscipe!

O Christe laß mich stehen /

Zur Rechten dich zu sehen /

In deiner Herrlichkeit:

Laß mich samt allen Frommen

Zu dir mein Heyland kommen /

Herr nim mich auf / ich bin bereit.

Amen.

